

## DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN

### Themata sermonis

Evangelium in vigesimaquarta dominica post Pentecosten: *Loquente Iesu ad turbas*, quod dividitur in duabus clausulis.

In primis thema sermonis de creatione angelorum et animarum, et praedicatione et fide, ibi: *Praeparare in occursum Dei*.

Item thema sermonis in die Pentecostes, ibi: *Cum audierit sonitum gradientis*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item de quattuor lucernis et earum significatione, ibi: *Scrutabor Ierusalem*.

Item de custodia cordis, ibi: *Super custodiam meam stabo*.

Item thema sermonis ad poenitentes de confessione, ibi: *Levavi oculos meos et vidi; et ecce vir*.

Item de quattuor cornibus in Zacharia et eorum significatione, ibi: *Levavi oculos meos et vidi; et ecce quattuor cornua*.

Item ad claustrales, ibi: *Ecce ego lactabo*.

[DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis contra carnales de senario vitiorum, ibi: *Vadam post amatores meos*.

Item contra illos qui in infirmitate de medicis et divitiis confidunt, ibi: *Aegrotavit Asa*.

Item de Passione Iesu Christi, ibi: *Tetigit fimbriam*.

### Exordium. De creatione angelorum et animarum, et praedicatione et fide

1 - In illo tempore: *Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est etc.*<sup>1</sup>

Dicit Amos propheta: *Praeparare in occursum Dei tui, Israel; quia ecce formans montes et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam et gradientem super excelsa terrae, Dominus Deus exercituum nomen eius*<sup>2</sup>. Nota ista quinque: montes, ventum, eloquium, nebulam et excelsa terrae.

ALLEGORICE. *O Israel*, ‘idest anima fidelis, quae fide videt Deum’<sup>3</sup>, *praeparare in occursum Dei tui*, quia prope est ipsius adventus, qui in sequenti dominica celebrabitur. Forte quaeris: “Quis ille? Iste est formans montes”<sup>4</sup>, idest angelicos spiritus, qui propter gloriae excellentiam dicuntur montes. Unde in Canticis: *Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles*<sup>5</sup>. Dei Filius, ad Incarnationem veniens, chorus angelorum, tam maiorum quam minorum, transilivit et nuntium suum praevenit.

*Creans ventum*, “idest animas”<sup>6</sup>, de quibus in Psalmo: *Volavit super pennas ventorum*<sup>7</sup>. “Quia incomprehensibilitas Iesu Christi, ut ibi dicit GLOSSA, superat virtutes animarum”<sup>8</sup>, “quibus ipsae animae se velut pennae a terrenis timoribus in auras libertatis attollunt”<sup>9</sup>. Item Iob: *Qui fecit ventis pondus*<sup>10</sup>. Deus pondus carnis animabus fecit, ne in superbiam evanescerent sicut diabolus.

*Et annuntians homini eloquium suum*. “Creare est ex nihilo aliquid facere”<sup>11</sup>. Animas Deus creat ex nihilo, quia, ut dicit AUGUSTINUS, “infundendo creat et creando infundit”<sup>12</sup>. Unde in Psalmo:

---

<sup>1</sup> Mt 9,18 (Vg. *Haec illo loquente ad eos...*)

<sup>2</sup> Am 4,12-13

<sup>3</sup> Cf. GLO. ORD., 1Reg 5,1

<sup>4</sup> GLO. INT., Am 4,13: «Isti..., “Formans montem, omnem creaturam vel sanctos in fide”».

<sup>5</sup> Cant 2,8

<sup>6</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>7</sup> Ps 17,11

<sup>8</sup> GOL. INT., ibidem: «Volavit super pennas ventorum, “Quia incomprehensibilitas eius superat virtutes animarum”».

<sup>9</sup> Eadem Glossa ibidem, quae in P. LOMBARDO (*Commentarium in Psalmos*, PL 191,192) continuatur.

<sup>10</sup> Iob 28,25

<sup>11</sup> P. LOMB., *Sent.* II, dist. 1,1, PL 192,651; *Ad Claras Aquas*, I, p. 330.

<sup>12</sup> P. LOMB., *Sent.* II, dist. 17,2, PL 192,686; *Ad Claras Aquas*, I, p. 412. Questa citazione di P. Lombardo, tratta da S. Agostino (*super Genesim*), è conforme all’opinione comune degli scolastici contro i generationisti. F. DA

*Qui finxit sigillatim corda eorum*<sup>13</sup>, idest “creavit, ut ibi dicit GLOSSA, animas sigillatim, idest singulas per se ex nihilo, non ex Adam, ut quidam dicunt, putantes animam esse ex anima”<sup>14</sup>. Qui ergo creavit animas, ipse annuntiat eis eloquium suum, ex quo vivit anima, de quo in Psalmo: *Ignitum eloquium tuum vehementer*<sup>15</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Urit sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, purgat corda ut fornax aurum, accendit ad amorem Dei et illuminat audientes”<sup>16</sup>.

*Faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae*. Ibi dicit GLOSSA: “Nebula pinguedo aeris est, et significat pinguedinem fidei, quae mane, idest tempore Baptismi, concipitur. Excelsa terrae, virtutes vel sancti, in culmine virtutum constituti. Deus vero virtutes omnium transcendit et in cordibus suorum graditur”<sup>17</sup>.

2 - Unde, super hoc habes concordantiam in secundo libro Regum, ubi dicit Dominus ad David: *Cum audieris sonitum gradientis in cacumine Pyrorum, tunc inibis proelium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim*<sup>18</sup>. “Pyrus dicitur a *pyr* graeco, quod est *ignis*”<sup>19</sup>. “Istius arboris pomum videtur quod in ignis specie sit formatum, nam ab amplo incipit et in angustum finit sicut ignis”<sup>20</sup>. ‘Pyri ergo sunt sancti’<sup>21</sup>, igne caritatis inflammati, quorum opera ab amplo caritatis incipiunt, et in angusto humilitatis terminantur. Unde eis dicit Dominus: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus*<sup>22</sup>. ‘Istorum Pyrorum cacumen est vitae sublimitas’<sup>23</sup>, unde cacumen dicitur quasi capitis acumen. Sonitus est infusio gratiae Iesu Christi, qui graditur in sublimi vita sanctorum. Hic sonitus cum auditur a viro iusto, tunc Philisthaei, idest carnis motus vel maligni spiritus, superantur. Qui ergo haec omnia supra dicta potuit facere, bene mulierem a profluvio sanguinis liberare et filiam archisynagogi a morte potuit resuscitare. Unde dicitur in hodierno evangelio: *Loquente Iesu ad turbas* etc.

3 - Nota quod in hoc evangelio duo notantur, scilicet mulieris a profluvio sanguinis curatio et filiae archisynagogi resuscitatio. Primum, ibi: *Ecce mulier* etc. Secundum, ibi: *Cum venisset Iesus in domum principis* etc.

Introitus proprius hodiernae missae vacat. In qua legitur epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses: *Non cessamus*, quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus evangelii clausulis concordare. Prima particula: *Non cessamus*. Secunda: *Gratias agentes Deo Patri*. Matthaeus in hodierno evangelio agit de curatione mulieris haemorrhoidae et resuscitatione puellae. Paulus in hodierna epistola orat, ut impleamur agnitione voluntatis Dei, quae restringit fluxum sanguinis, idest carnalis voluptatis, et dicit nos ereptos de potestate tenebrarum, quemadmodum puella de mortis tenebris fuit erepta. Et ideo haec epistola cum isto legitur evangelio.

---

GAMA CAEIRO, S. *António de Lisboa*, Lisboa 1967, p. 270, cerca di giustificare la citazione di Agostino contro il parere di D. SCARAMUZZI, *La figura intellettuale di S. Antonio di Padova*, Roma 1934, p. 155, n. 1, e BALDOVINO DI AMSTERDAM, *Libri IV Sententiarum Petri Lombardi in Sermonibus S. Antonii*, in «Collectanea Franciscana», 26 (1956), pp. 139-140.

<sup>13</sup> Ps 32,15

<sup>14</sup> GLO. ORD., ibidem. Cf. H. PINTO REMA, o.c., II, p. 385: «Da qui si deduce che il nostro Dottore condanna esplicitamente il *traducianesimo*, sia esagerando, dicendo che è ammesso da TERTULLIANO (*De anima*, 19, PL 2,61), sia mitigandolo, poiché era difeso da alcuni Padri della Chiesa, e proclama il *creazionismo* puro: l’anima è stata creata immediatamente da Dio e unita al suo corpo.

<sup>15</sup> Ps 118,140

<sup>16</sup> GLO. ORD., ibidem. Cf. AMBR., *Expositio in Psalmum David CXVIII*, PL 15, 1459: «Hoc igne urebatur rubus, et non exurebatur (Ex 3,2). Urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris: non exurit, ut perdat... Tripliciter ergo describe tibi *ignitum eloquium Dei*, vel quod *mundat*, vel quod *accendit*, vel quod *illuminat audientes*». Antonio, come si vede, adatta il passo: sostituendo “*mundat*” con “*purgat*” e aggiungendo altri due verbi, introduce il paragone della fornace che *purgat* i cuori, *accendit* d’amore e *illuminat* gli uditori.

<sup>17</sup> GLO. ORD., Am 4,13

<sup>18</sup> 2Reg 5,24

<sup>19</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>20</sup> ISID., *Etym.* XVII,7,15, PL 82,611-612

<sup>21</sup> Cf. GLO. ORD., 2Reg l.c.

<sup>22</sup> Lc 17,10

<sup>23</sup> Cf. GLO. ORD., 2Reg l.c.

## I - De filiae archisynagogi resuscitatione

4 - Dicamus ergo: *Loquente Iesu ad turbas*. Nota quod mors puellae et fluxus sanguinis peccatum mortale significant, in consensu mentis et executione operis. De primo disseramus. *Ecce, inquit, princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam et vivet*<sup>24</sup>. Marcus et Lucas dicunt, ‘nomine, Iairum archisynagogum’<sup>25</sup>. “Iairus interpretatur illuminatus vel illuminans”<sup>26</sup>, et significat quemlibet christianum, qui debet illuminari et illuminare illis lucernis, de quibus dicit Dominus per Sophoniam: *Et erit in tempore illo: Scrutabor Ierusalem in lucernis et visitabo super viros defixos in faecibus suis*<sup>27</sup>.

Nota quod quattuor sunt lucernae. Prima est verbi Dei, de qua: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* etc.<sup>28</sup> Et attende quod “prius dixit *pedibus*, deinde *semitis*”<sup>29</sup>. Secunda lucerna est bonorum operum, de qua: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes* etc.<sup>30</sup> ‘Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum proximis bona opera demonstramus’<sup>31</sup>. Tertia, intentionis, quae illuminat congeriem bonorum operum, de qua in Matthaeo: *Lucerna corporis*, “idest operis”, *tui est oculus tuus*, “idest intentio tua”. *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit*<sup>32</sup>. Quarta, humanitatis Iesu Christi, de qua in Luca: *Quae mulier habens drachmas decem* etc.<sup>33</sup> Quaere superius in eodem evangelio<sup>34</sup>.

Dicat ergo Dominus: “In tempore iudicii”<sup>35</sup> *scrutabor Ierusalem*, idest quemlibet christianum; investigabo *in lucernis*, idest si secundum verbum praedicationis, quod audivit, vitam suam emendavit; si lucem bonorum operum aliis ostendit, si recta intentione in opera processit, si exemplo paupertatis et humilitatis Christi vitam suam informavit. Et tunc *visitabit super viros*, idest “confidentes in viribus suis”<sup>36</sup>, *defixos in faecibus*, “idest in iniquitatibus”<sup>37</sup>, *suis*.

Iste Iairus dicitur princeps synagogae, quia quilibet christianus debet esse princeps sui corporis, quod est quasi synagoga. *Stuppa collecta*, inquit Ecclesiasticus, *synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis*<sup>38</sup>. Quinque corporis sensus sunt quasi stuppa collecta, quia de facili igne concupiscentiae succenduntur, et ideo Iairus illis debet principari, ut dicere possit cum Habacuc propheta: *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem; et contemptabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me*<sup>39</sup>. Super custodiam suam stat “qui omni diligentia custodit cor suum”<sup>40</sup>. Super munitionem gradum suum figit, qui sensus carnis reprimit cum proposito perseverantiae finalis, et sic contemplatur, ut videat quid ei dicatur aut quid respondeat ad arguentem se.

Hoc est quod dicit Iob: *Ponam coram eo iudicium, et os meum implebo increpationibus; ut sciam verba quae mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi*<sup>41</sup>. Ibi dicit GLOSSA GREGORII: “*Coram Deo iudicium ponere est intra secretum mentis, per fidei contemplationem, ad intuendum examen illius, oculos nostrae considerationis aperire. Os suum implet increpationibus, quia dum examen iudicis contra se contemplatur, amarae se poenitentiae invectione persequitur. Ut sciam verba*

---

<sup>24</sup> Mt 9,18

<sup>25</sup> Cf. Mc 5,22; Lc 8,41

<sup>26</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>27</sup> Soph 1,12

<sup>28</sup> Ps 118,105

<sup>29</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>30</sup> Lc 12,35

<sup>31</sup> Cf. GREG., *In Evangelia*, homilia 12,1, PL 76,1124

<sup>32</sup> Mt 6,22 et GLO. ORD., ibidem

<sup>33</sup> Lc 15,8

<sup>34</sup> *Dominica III post Pentecosten*

<sup>35</sup> GLO. ORD., Soph 1,12

<sup>36</sup> GLO. INT., ibidem: «*Super viros, “Super confientes in viribus suis”*».

<sup>37</sup> GLO. INT., ibidem: «*Defixos in faecibus, “In iniquitatibus”*».

<sup>38</sup> Eccli 21,10

<sup>39</sup> Hab 2,1

<sup>40</sup> GLO. INT., ibidem: «*Super custodiam stabo, “Omni diligentia custodiam cor meum”*».

<sup>41</sup> Iob 23,4-5 (Vg. ... *os meum replebo*...)

etc. Cum enim culpas puniendo persequimur, quid nobis de eis iudex in suo examine dicere possit invenimus; quod nescit qui mala sua negligit”<sup>42</sup>.

Si talis fuerit princeps synagogae, poterit accedere fide et adorare devotione Iesum, dicens: *Domine, filia mea modo defuncta est* etc. Filia archisynagogi in domo defuncta est cuiuslibet christiani anima, consensu peccati in domo conscientiae mortua. Unde Amos: *Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitaret eam*<sup>43</sup>.

Nota quod, duplex est status, scilicet iustitiae et iustificationis; iustitiae, cum homo post datam gratiam non cadit mortaliter, iustificationis, cum post casum resurgit. ‘Verum est quod homo post casum, etsi resurgat, non habet eandem gloriam, idest gloriosum statum, quia impossibile est ipsum non amisisse priorem statum, tamen potest habere maiorem gloriam si habuerit postea maiorem caritatem’<sup>44</sup>. Virgo Israel est anima: virgo per fidem, Israel per spem; quae tunc est proiecta in terram suam, cum suae carnis miserae consentit concupiscentiae.

*Sed veni, impone manum super eam, et vivet.* O beate Iesu, ubi manus tua, ibi vita nostra! *Manus*, inquit Ezechiel, *Domini erat mecum confortans me*<sup>45</sup>. Nota ista tria: *veni, impone manum, et vivet.* O Domine Iesu, *veni* et subveni, gratiam infundendo, ut filia, idest anima mea, conteratur; *imponere manum*, ut confiteatur: *Misit*, inquit Ieremias, *Dominus manum suam et tetigit os meum*, ut confiteretur peccatum<sup>46/a</sup>; *et sic vivet*, vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro.

6/5<sup>46/b</sup> - Super hoc habes concordantiam in Zacharia propheta, ubi dicit: *Levavi oculos meos et vidi; et ecce vir, et in manu eius funiculus mensurum. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Ierusalem, et videam quanta sit longitudo eius, et quanta sit latitudo eius*<sup>47</sup>. Quid ista sex: vir et eius manus et funiculus, Ierusalem et eius longitudo et latitudo significant, videamus. *Vir* est “Christus”<sup>48</sup>, de quo Zacharias: *Ecce vir oriens nomen eius*<sup>49</sup>. Iesus Christus est nomen eius, cui consonant *vir oriens*, Iesus salvator. *Ecce vir*, qui virtute sua salvum fecit populum suum. “Christus a chrismate dicitur”<sup>50</sup>. *Ecce oriens*, qui ‘illuminavit sedentes in tenebris’<sup>51</sup>. Istius viri *manus* ipsius est misericordia, de qua in Marco: *Deprecabantur eum, ut imponat illi manum*<sup>52</sup>. Quare in evangelio: *Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem* etc.<sup>53</sup>

Funiculus mensurum est confessio peccatorum. Unde Salomon: *Funiculus triplex difficile rumpitur*<sup>54</sup>. Nota quod, peccator in confessione tria debet facere: de praeteritis dolere, firmum propositum non relabendi habere, sui confessoris praeceptis in omnibus obedire. Si tali funiculo navis nostra ad lignum crucis dominicae alligata fuerit, nequaquam abrumpi poterit. Iste funiculus est in manu Christi, qui gratiam confessionis cui vult dat, misericordia suae inspirationis.

Hoc funiculo ipse metitur Ierusalem, idest animam cuiuslibet poenitentis, ut videat, idest ipsum videre faciat, quanta sit longitudo perseverantiae et quanta latitudo caritatis geminae. Quis mortaliter peccans, offendit Deum, laedit seipsum, scandalizat proximum; cum vero poenitet et confitetur, cum finalis perseverantiae proposito, tunc placat Deum, sanat seipsum, aedificat proximum. Haec est longitudo et latitudo Ierusalem, quae mensuratur funiculo confessionis, ut poena respondeat

---

<sup>42</sup> GLO. ORD., ibidem. Editio Glossae habet: «... ad tremendum examen illius oculos... aperire»; Cf. GREG., *Moralium* XXIII,28,35, PL 76,1138

<sup>43</sup> Am 5,2

<sup>44</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem

<sup>45</sup> Ez 3,14 (Vg. *Manus enim*...)

<sup>46/a</sup> Ier 19

<sup>46/b</sup> L’Edizione critica del 1979 passa dal n.° 4 al n.° 6 e termina con il n.° 12. La versione portoghese, Porto 1987, segue la stessa numerazione, mentre la spagnola, Murcia 1995, e l’italiana, Messaggero di Sant’Antonio 1994 e seguenti, introducono un n.° 5, assente, e terminano con il n.° 11. Noi seguiamo questa numerazione.

<sup>47</sup> Zach 2,1-2 (Vg. *mut om*)

<sup>48</sup> GLO. INT., Zach 6,12: «*vir oriens*, “idest Zorobabel, qui ideo vocat oriens, quia ex humili et captivo in ducem populi consurget. Christus”».

<sup>49</sup> Zach 6,12

<sup>50</sup> ISID., *Etym.* VII,2,2, PL 82,264

<sup>51</sup> Cf. Lc 1,79

<sup>52</sup> Mc 7,32

<sup>53</sup> *Dominica XII post Pentecosten*

<sup>54</sup> Eccle 4,12

culpa, et 'sicut exhibuit membra sua servire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeat servire iustitiae in sanctificationem' <sup>55</sup>.

Veni ergo, o vir oriens, et funiculo, quem habes in manu, metire Ierusalem. Veni, o Domine Iesu, et impone manum super animam, et vivet vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro.

6 - Sequitur: *Et surgens Iesus sequebatur eum, et discipuli eius* <sup>56</sup>. O ineffabilis pietas! O admirabilis humilitas! Rex angelorum sequitur archisynagogum! Tu sequeris Iairum. Et quis sequitur te, Dei Filium? *Abierunt, inquit Ieremias, in voluptatibus suis et pravitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum et non in ante* <sup>57</sup>. Et Zacharias: *Verterunt scapulam recedentem, et aggravaverunt aures suas ne audirent; et cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem* <sup>58</sup>.

*Et cum venisset Iesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum* <sup>59</sup>. Quid tibicines, quid turba tumultuans, moraliter significant videamus. Tibicines sunt sensus corporis, 'qui canunt carmen lugubre' <sup>60</sup> illis quattuor cornibus, de quibus habes concordantiam in Zacharia: *Levavi oculos meos, et vidi, et ecce quattuor cornua. Et dixi ad angelum qui toquebatur in me: Quid sunt haec? Et dixit ad me: Haec sunt cornua quae ventilaverunt Iudam et Israel et Ierusalem* <sup>61</sup>. Ista cornua quattuor significant vitia, 'quae sunt superbia vel luxuria in oculis, pruritus audiendi in auribus, detractio vel adulatio in lingua, rapina vel usura in manibus' <sup>62</sup>. *Haec sunt quae ventilaverunt in omnem ventum mundanae vanitatis Iudam, idest laicos, et Israel, idest clericos, et Ierusalem, idest religiosos. Cum istis cornibus corporis sensus canunt carmen lugubre, idest mundi gaudium, in morte nostrae animae.*

Unde Iob: *Tenant tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* <sup>63</sup>. 'Tympanum est pellis extensa in ligno' <sup>64</sup>. Cum superbus erigit palpebras oculorum in altum, de quibus in Parabolis: *Generatio cuius excelsi sunt oculi, et palpebrae eius in altum surrectae* <sup>65</sup>, vel luxuriosi extendunt oculos in pulchritudinem feminarum, de qua in Parabolis: *Non concupiscat pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris nutibus illius* <sup>66</sup>, tunc tenent tympanum. Lingua adulationis vel detractionis est quasi cithara, quam dum percutit, sonum detractionis vel adulationis reddit. Qui prurientes habent aures, gaudent ad sonitum organi, idest propriae laudis. Vae nobis miseris, qui gaudemus ad sonitum proprii organi, quod cum sonat ridet oculus, hilarescit facies, gaudet auris, lingua tripudiat, cor exultat. *Gaudent ergo ad sonitum organi. Utinam versa esset, ut dicit Iob, in luctum cithara nostra, et organum nostrum in vocem flentium* <sup>67</sup>. Raptores et usurarii de pauperum bonis *ducunt in bonis dies suos*. Ecce qualiter maledicti tibicines carmen lugubre canunt. Sed credant mihi, quia in puncto, qui eos punget usque ad interiora iecoris et pulmonis, descendent ad infernum, ubi canitur carmen lugubre, scilicet fletus oculorum et stridor dentium.

Item, turba tumultuans est turbatio et tumultus malarum cogitationum. Cum tibicines exterius carmen lugubre canunt, tumultuosae cogitationes intus in mente perstrepunt. Unde dicit sponsa in Canticis: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab* <sup>68</sup>. "Aminadab interpretatur spontaneus" <sup>69</sup> vel urbanus, et significat corpus nostrum, quod sponte sua se impellit in temporalia, in quibus urbane et delicate semper vult vivere. Quadrigae Aminadab sunt sensus corporis, quae dum

---

<sup>55</sup> Cf. Rom 6,19

<sup>56</sup> Mt 9,19

<sup>57</sup> Ier 7,24 (Vg. ... in voluntatibus et in pravitate...; in GLO. ... in voluptatibus et pravitate...)

<sup>58</sup> Zach 7,11-12 (Vg. mut)

<sup>59</sup> Mt 9,23-24

<sup>60</sup> Cf. GLO. ORD., Mt 9,23

<sup>61</sup> Zach. 1,18-19

<sup>62</sup> Cf. GLO. ORD., Zach 1,18

<sup>63</sup> Iob 21,12-13

<sup>64</sup> Cf. ISID., Etym. III,22,10, PL 82,168

<sup>65</sup> Prov 30,13 (Vg. ... in alta...)

<sup>66</sup> Prov 6,25 (Vg. ... pulchritudinem eius cor tuum nec...; in GLO. ... ne...)

<sup>67</sup> Cf. Iob 30,31

<sup>68</sup> Cant 6,11

<sup>69</sup> GLO. INT., ibidem: «Aminadab, "Spontaneus"».

circumvolvuntur per lutum et stercus temporalium, anima, idest animalitas, idest sensualitas, conturbat rationem, tumultu malarum cogitationum.

7 - Redeamus ad materiam et dicamus: *Cum venisset Iesus in domum principis*. ‘Princeps est quilibet homo, qui sibi debet principari’<sup>70</sup>, cuius domus ipsius est conscientia, in quam Dominus tunc venit, cum ei gratiam infundit, ut culpam suam cognoscat et cognoscens erubescat.

*Et cum vidisset tibicines et turbas*, tunc dicebat: *Recedite*. Cum Iesu Christi gratia conscientiam hominis visitat, tunc sensuum delectationi et cogitationum tumultui ut recedant imperat. ‘Imperat enim ventis, idest vanitati sensuum, et mari, idest fluctuationi cogitationum, et obediunt ei’<sup>71</sup>. *Recedite ergo, non est enim mortua puella sed dormit*. ‘Ipsi vere dormiebat, qui eam de morte ita facile quasi de somno suscitare poterat’<sup>72</sup>. Nota quod duplex est mors animae, scilicet peccati et inferni. Mors peccati dicitur dormitio, quia quilibet peccator in hac vita a peccato tam facile potest resurgere, sicut aliquis a somno. Unde Apostolus: *Surge* per contritionem, *qui dormis* in peccato, *et exurge*, idest extra surgere, per confessionem *a mortuis*, scilicet operibus, *et illuminabit te Christus*<sup>73</sup>.

Nota etiam quod, dixit *puella* et non *veterana*. Anima enim quae nondum diuturnitate malae consuetudinis est oppressa, sed quasi puella et novella in peccato est sopita, de facili ad vitam gratiae potest resurgere. In domo enim fuit defuncta et resuscitata, non extra portam delata vel sepulta, quia anima, quae in domo conscientiae est defuncta et nondum ad operis portam, vel consuetudinis sepulturam est delata, de facili potest ad vitam redire.

*Et deridebant eum*. Cum Iesu Christi gratia animae inspirat, ut doleat et a peccato resurgat, tibicines, idest exterior sensuum delectatio, et turba tumultuans, idest interior cogitationum tumultuatio, derident. Unde in Iob: *Deridet equum et ascensorem eius*<sup>74</sup>, scilicet struthio. In qua ponderosa carnis delectatio designatur, quae deridet equum, idest spiritum, et ascensorem eius, idest gratiam, dum ipsum vult dirigere in viam vitae, ad capiendum bravium caelestis gloriae. Deridet, inquam, dum fragilitatem naturae, rigorem abstinentiae, asperitatem poenitentiae ei obicit, et quod in ipsa perseverare non possit ostendit.

Sequitur: *Et cum eiecta esset turba, intravit, et tenuit manum eius* - ‘et dixit: *Puella, surge*’<sup>75</sup> - *. Et surrexit puella*<sup>76</sup>. Nota ordinem verborum. *Cum eiecta esset turba, intravit*. Super hoc concordat illud quod dicit Dominus in Osee: *Arcum et gladium et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter*<sup>77</sup>. ‘In arcu dolosa diaboli suggestio’<sup>78</sup>, in gladio tumultuosa cordis cogitatio, in bello sensuum lasciviens delectatio designatur. Haec Dominus de terra tunc conterit, cum turbam tumultuantem de domo conscientiae eicit, qua eiecta, intrat, intrans pacificat. Et hoc est *dormire*, ‘idest requiescere’<sup>79</sup>, *eos faciam fiducialiter*.

*Et tenuit manum eius*. Manum manu tenet, cum misericordia sua dat velle, nosse et posse. Unde habes concordantiam in Zacharia: *Manus*, inquit, *Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam*<sup>80</sup>. ‘Zorobabel interpretatur iste magister Babylonis. *Zo* iste, *ro* magister, *babel*, idest Babylonis; et significat Iesum Christum’<sup>81</sup>, qui venit mundum restaurare, puellam resuscitare. ‘Filius, inquit, hominis venit salvare quod perierat’<sup>82</sup>. Cuius misericordiae manus templum fundat, cum dat nosse et velle; perficit, cum dat posse.

<sup>70</sup> Cf. GREG., *Moralium* XI,17,26, PL 75,966

<sup>71</sup> Cf. Lc 8,25

<sup>72</sup> GLO. ORD., Mt 9,24

<sup>73</sup> Eph 5,14; Cf. GLO. ORD., ibi: «*Surge* per confessionem. *Et exurge* per satisfactionem».

<sup>74</sup> Iob 39,18

<sup>75</sup> Cf. Lc 8,54

<sup>76</sup> Mt 9,25

<sup>77</sup> Os 2,18

<sup>78</sup> Cf. GREG., *Moralium* XIX,30,54, PL 76,133

<sup>79</sup> GLO. INT., Os 1.c.: «*Dormire*, “vel modo quiescunt animae sanctorum in spe futurae resurrectionis; secure quiesco in mea fide et pace. Hanc septimam aetatem quiescentium facit Christus veniens in carne”».

<sup>80</sup> Zach 4,9

<sup>81</sup> GLO. ORD., Agg 1,1. In realtà *zo* significa “questi” e *rohé*, pastore; ma *zaru* assume il significato di semenza, rampollo. Da lì si può concludere che Zorobabel significa rampollo di Babylonis, semenza di Babilonia. Cf. *Dictionnaire Encyclopédique de la Bible*, Brepols.

<sup>82</sup> Cf. Lc 19,10

*Et dixit: Puella, surge. Et surrexit puella.* Super hoc habes concordantiam in Michaea propheta, ubi anima, iam per gratiam resuscitata, carnis insultus contemnit, dicens: *Ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi; consurgam cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est*<sup>83</sup>.

8 - Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: *Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius*<sup>84</sup>. Huic orationi et postulationi respondet Dominus misericorditer in Osee: *Ecce ego lactabo eam, et adducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius*<sup>85</sup>. Ecclesiam vel fidelem animam, pro qua orabat et postulabat Apostolus, Dominus lactat gratia, ut in eo crescat in salutem, et postea ducit in solitudinem, idest rerum temporalium abdicacionem et mentis quietem, et ibi loquitur ad cor eius, ut impleatur agnitione voluntatis eius.

Et nota quod, dicit Apostolus: *impleamini*. Pleno vasculo quicquid superinfundis perdis. Qui plenus est temporalibus impleri non potest agnitione voluntatis Dei. Qua qui vult impleri necesse est ipsum primo in solitudinem duci; et ibi audiet sibilum aurae tenuis ad cor loquentis, et implebitur agnitione divinae voluntatis. Unde dicitur in hodierno evangelio, quod Dominus primo eiecit turbam tumultuantem, et postea, quasi in solitudine, locutus est ad cor puellae. *Puella, tibi dico: Surge*<sup>86</sup>. Os Domini est in aure cordis, in solitudine quiescentis, cui revelat secretum suae voluntatis. Quiescat cor tuum, et agnitione divinae voluntatis erit impletum. ‘Ad quem, inquit, respiciam nisi ad humilem et quietum et pauperulum spiritu?’<sup>87</sup> *Respexit humilitatem ancillae suae*<sup>88</sup>, quae erat in mentis solitudine et corporis. ‘Oppidum, inquit HIERONYMUS, mihi carcer est, solitudo paradisi’<sup>89</sup>, in quo ad cor loquitur Dominus.

Quem, fratres carissimi, humiliter cum archisynagogo Iairo exoremus, ut ad domum nostram veniat, turbam tumultuantem eiciat, et filiam nostram resuscitet. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

## II - De mulieris a profluvio sanguinis curatione

9 - Sequitur secundum. *Et ecce mulier, quae sanguinis uxum patiebatur, duodecim annis etc.*<sup>90</sup> Quid ista tria: mulier, fluxus sanguinis, fimbria vestimenti, significant videamus. ‘Mulier, a mollitie dicta’<sup>91</sup>, animam peccatricem significat, quae dicit in Osee propheta: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, et lanam meam, et linum meum, et oleum meum, et potum meum*<sup>92</sup>. Mollis mollia quaerit. Quid ista septem: amatores, panes etc., significant videamus. Animae peccatricis amatores ‘sunt daemones’<sup>93</sup>, vel affectus carnales; post quos vadit, cum eis consentit, quibus ideo consentit, quia dant ei panes etc. ‘In panibus, gloriae temporalis pompa; in aquis, gula et luxuria; in lana, hypocrisis fallacia; in lino, pecuniae amor; in oleo, adulationis nitor; in potu dignitatis ardor designatur’<sup>94</sup>.

De panibus vel pane gloriae temporalis dicit Salomon in Parabolis: *Suavis est homini panis mendacii*, idest pompae saecularis, quae se mentitur aliquid esse, cum nihil sit, *sed postea os eius implebitur calculo*<sup>95</sup>, idest poena aeterna.

De aquis gulae et luxuriae dicit Nahum propheta: *Quasi piscina aquarum aquae eius*<sup>96</sup>, idest Ninive, ‘quae interpretatur speciosa’<sup>97</sup>. In qua caro hominis figuratur, cuius aquae, idest gula et

---

<sup>83</sup> Mich 7,8

<sup>84</sup> Col 1,9

<sup>85</sup> Os 2,14

<sup>86</sup> Mc 5,41

<sup>87</sup> Cf. Is 62,2

<sup>88</sup> Lc 1,48

<sup>89</sup> HIER., Epistola 125, *ad Rusticum*, 7, PL 22,1076

<sup>90</sup> Mt 9,20

<sup>91</sup> ISID., *Etym.* XI,2,18, PL 82,417

<sup>92</sup> Os 2,5 (Vg. *om*)

<sup>93</sup> GLO. INT., ibidem: «Vadam post amatores: “Fide et dilectione sequar deos vel imitabor gentes quorum deos colo”». «Idola. “Daemones”».

<sup>94</sup> Cf. GLO. ORD., ibidem

<sup>95</sup> Prov 20,17 (Vg. *mut*)

<sup>96</sup> Nah 2,8

luxuria, sunt sicut piscina, quae siccatur in aestate. Sic in ardore mortis, gula et luxuria carnis omnino siccabuntur.

De lana hypocrisis, in evangelio: *Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* etc.<sup>98</sup> Quaere superius in eodem evangelio<sup>99</sup>.

De lino avaritiae habes in Exodo, ubi dicitur, quod 'grando laesit linum'<sup>100</sup>. Grando enim divinae sententiae, 'Ite, maledicti, in ignem aeternum'<sup>101</sup>, laedet et destruet avaritiam et usuram.

De oleo adulationis, in Psalmo: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*<sup>102</sup>.

De potu dignitatis habes in Apocalypsi, ubi dicitur, quod 'mulier, quae sedebat super bestiam coccineam, habebat poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis suae'<sup>103</sup>. Mulier ista mundi vanitatem significat, quae sedet super bestiam coccineam, idest diabolium. Haec habet in manu poculum aureum, idest claritatem dignitatis transitoriae, plenum abominatione. Conscientia et opera eorum, qui hac claritate offuscantur, perhibent testimonium sibi et nobis quanta sit ibi abominatio et fornicationis immunditia. Quicumque hoc poculo potatur, sitiet iterum et ardebit, et utinam non cum purpurato Epulone in aeternum. Heu! Heu! hianti ore, ardenti gutture, omnes fere video currere ad potandum de poculo aureo fornicariae. *Cursor*, inquit Ieremias, *levis explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine in desiderio animae suae, attraxit ventum amoris sui*<sup>104</sup>. Sicut ventus, ore aperto attractus, non extinguit sitim sed magis accendit, sic dignitatis vanitas, et aliquando suum potatorem ipsa siti interficit.

Quisquis his sex vitiis inficitur, est tamquam mulier quae fluxum sanguinis patitur. Fluxus sanguinis est in manifesto immunditia peccati. Unde Osee: *Sanguis sanguinem tetigit*<sup>105</sup>, idest immunditia mentis immunditiam operis. 'Fluxus, inquit, eorum ut fluxus equorum'<sup>106</sup>.

*Patiebatur*, inquit, *fluxum sanguinis duodecim annis*. Denarius ad decem praecepta Veteris Testamenti, binarius ad duo Novi refertur. Duodecim ergo annis fluxum sanguinis patitur quicumque apertae iniquitatis malitia contra utriusque Testamenti praecepta coinquinatur. Unde Osee: *Fornicati sunt et non cessaverunt quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo*<sup>107</sup>, 'scilicet utriusque Testamenti praecepta'<sup>108</sup>.

Dicit Lucas, quod haec mulier *omnem substantiam suam erogaverat in medicos, nec ab ullo potuit curari*<sup>109</sup>; sed, ut dicit Marcus, *deterius habebat*<sup>110</sup>. Medici sunt carnales affectus, de quibus in Psalmo: *Numquid mortuis facies mirabilia? aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?*<sup>111</sup> Carnales affectus animam non suscitant a peccato, sed suscitatae occidunt et sepeliunt in inferno. Quanti molles et effeminati in his medicis utriusque hominis, scilicet animae et corporis, omnem substantiam expendunt, et curari ab infirmitate animae non possunt, immo deterius habent!

10 - Unde dicitur in secundo libro Paralipomenon, quod *aegrotavit Asa dolore pedum vehementissimo; et nec in infirmitate sua quaesivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormivitque cum patribus suis et mortuus est*<sup>112</sup>. "Asa interpretatur attollens"<sup>113</sup>, et significat huius mundi divitem, qui se attollit in divitiis et 'ambulat in mirabilibus super se'<sup>114</sup>. Iste aegrotat

---

<sup>97</sup> GLO. ORD., Ion 1,2

<sup>98</sup> Mt 7,15

<sup>99</sup> *Dominica VIII post Pentecosten*

<sup>100</sup> Cf. Ex 9,31

<sup>101</sup> Cf. Mt 25,41

<sup>102</sup> Ps 140,5 (Vg. *Oleum autem...*)

<sup>103</sup> Cf. Apoc 17,3-4

<sup>104</sup> Ier 2,23-24

<sup>105</sup> Os 4,2

<sup>106</sup> Cf. Ez 23,20

<sup>107</sup> Os 4,10

<sup>108</sup> Cf. GLO. INT., ibidem: «*Dominum dereliquerunt in non custodiendo, "Qui dicit: Dominum tuum adorabis"*».

<sup>109</sup> Lc 8,43 (Vg. *mut*)

<sup>110</sup> Mc 5,26 (Vg. *sed magis...*)

<sup>111</sup> Ps 87,11

<sup>112</sup> 2Par 16,12-13 (Vg. *add*)

<sup>113</sup> GLO. INT., Mt 1,8: «*Asa, "Attollens"*»

<sup>114</sup> Cf. Ps 130,1



vehementissimo dolore pedum. Anima duos habet pedes, quibus sustentatur, spem scilicet et timorem, quorum virtute huius mundi dives est privatus: spem enim suam ponit in transitoriis, quae timet amittere, et sic magis confidit in arte medicorum, idest industria, sagaci scientia et experientia carnalium affectuum, quam in Domino; et ideo dormit in peccato et moritur in inferno.

Non ergo est in medicis confidendum, sed in illius vestimenti fimbria, de qua subditur: *Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius*<sup>115</sup>. Vestimentum Christi ipsius est caro, de quo Isaias: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus*<sup>116</sup>. Simile quid dicit Zacharias: *Iesus erat indutus vestibus sordidis*<sup>117</sup>. Iesus Christus “torcular, idest pressuram crucis, solus sustinuit”<sup>118/a</sup>, in qua vestimentum suum sanguine rubricavit. Huius vestimenti fimbria est ipsa Passio, quae animam liberat a sanguinis profluvio. Contra carnis lubricum et libidinis incentivum<sup>118/b</sup> maxime valet memoria Passionis. Et si unguentum a capite descendat in barbam, in fimbria tamen vestimenti, idest in ultima parte vitae Christi, super terram totam plenitudo decurrit.

Unde de hac fimbria dicitur in Zacharia: *Homines, inquit, ex omnibus linguis apprehendent fimbriam viri iudaei dicentes: Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam vobiscum est Deus*<sup>119</sup>. Hoc ipsum dicebat mulier intra se: *Si tetigero vestimentum eius tantum salva ero*<sup>120</sup>. Plures enim fimbria, idest Passio Christi, quam tota reliqua vita eius, trahit ad ipsum Christum. Unde: *Cum exaltatus, inquit, fuero a terra, omnia traham ad meipsum*<sup>121</sup>. Si ergo, o anima, a tui sanguinis profluvio vis curari, ‘tange fide’<sup>122</sup>, apprehende opere fimbriam Passionis. Qui, inquit Apostolus, *Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis*<sup>123</sup>. Quod si ita tetigeris et apprehenderis, audire poteris: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*<sup>124</sup>. Nota quod, haec dictio, *fides*, componitur ex duplici verbo, idest *facio* et *dico*. Si enim facio quod dico et apprehendo quod tango, tunc est fides, et talis fides me salvum fecit.

11 - Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine*<sup>125</sup>. O Pater, quantas tibi gratias agere debent archisynagogi filia, a morte resuscitata, et mulier a profluvio sanguinis curata, idest illi qui in istis significantur, quos dignos fecisti in parte vitae aeternae, quam sortiti sunt sancti. *Dominus, inquit, pars hereditatis meae*<sup>126</sup>. Et hoc in lumine, de quo in Psalmo: *In lumine tuo videbimus lumen*<sup>127/a</sup>.

*Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*. Ecce archisynagogi filiae, idest animae, resuscitatio, quam manu misericordiae eripit de potestate tenebrarum, in quibus caeca iacebat, et transfert de regione dissimilitudinis<sup>127/b</sup> in regnum suae dilectionis, quam per Filii Passionem adepti sumus, de qua subditur: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, in remissionem peccatorum*<sup>128</sup>. Ecce mulieris a profluvio sanguinis, per fimbriam vestimenti, curatio. Sanguis enim Passionis dominicae restringit sanguinem nostrae malitiae.

<sup>115</sup> Mt 9,20

<sup>116</sup> Is 63,2-3. (Vg. *Quare ergo...*)

<sup>117</sup> Zach 3,3

<sup>118/a</sup> GLO. INT., Is 63,3: «Torcular, “Membra rubra sunt, musto nigro subrugeo”».

<sup>118/b</sup> Le due espressioni, “carnis lubricum” e “libidinis incentivum”, si leggono rispettivamente: la prima, in AUG., *Enarrationes in Psalmos* [2], PL 37,1489; BEDA, *Super epistolas Catholicas*, PL 93,92; ALANUS DE INSULIS, *Elucidatio in Cantica cantorum*, PL 210,54, ecc. La seconda, in AMBR., *De Abraham*, PL 14,432; AUG., *De gratia Christi et de peccato originali*, II, 34,39, PL 44,405, ecc.

<sup>119</sup> Zach 8,23 (Vg. ... *linguis gentium et...*)

<sup>120</sup> Mt 9,21 (Vg. *Si tetigero tantum...*)

<sup>121</sup> Io 13,32 (*Si exaltatus...*)

<sup>122</sup> Cf. GLO. ORD. et INT., Mt 9,20-21: «Confide, filia, “Habe spem; ideo filia, quia fides tua”».

<sup>123</sup> Gal 5,24 (Vg. *Qui autem sunt Christi...*)

<sup>124</sup> Mt 9,22

<sup>125</sup> Col 1,12 (Vg. ... *in partem...*)

<sup>126</sup> Ps 15,5

<sup>127/a</sup> Ps 35,10

<sup>127/b</sup> Per il tema della “Regio dissimilitudinis”, vedi Cf. MANUEL BARBOSA DA. COSTA FREITAS, *O tema da «regio dissimilitudinis» nos Sermões de Santo António*, in «Colóquio Antoniano», Lisboa 1982, pp. 131-140. Per questo passaggio, l’Edizione non cita, come al solito, san Bernardo.

<sup>128</sup> Col 1,13 (Vg. ... *per sanguinem eius remissionem...*).

Eia ergo, fratres carissimi, ipsum Dominum Iesum Christum devote exoremus, ut fimbria suae Passionis sanguinem nostrum restringat, qua ipsi gratias digne agere et cum sanctis in ipsius lumine valeamus regnare. Ipso praestante, qui in miraculis suis est gloriosus et benedictus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis resuscitata et curata anima: Amen. Alleluia.